

A T R A C T Y L I S .

41. ATRACTYLIS *humilis* flore radiato, squamis calycinis truncatis cum spinula setacea.

Habitat in collibus altis cis saltum vulgo soto Luzon Madridi.

Radix simplex, filiformis, pennæ columbinæ crassitie.

Caulis unicus, digitalis, vel in majoribus bini vel tres spithamales & semipedales, simplices, erecti, teretes, substriati, tomento albo tenuissimo adpresso involuti, ex toto foliis copiosis vestiti.

Folia alterna, lanceolata, subconduplicata, spinosa: spinulis brevibus, rigidis, ad singulorum dentem extrorsam pro more carduorum varie vergentibus; glabra viridia, nervo medio solummodo tomento depresso vestito.

Flos unicus, sessilis, cauli terminalis, basi obvolutus foliis aliquot patulis, similibus caulinis, sed inferius angustioribus.

CAL. communis crasso-ovatus, imbricatus: squamis oblongis, obtuse truncatis, acumine setaceo spinoso, rigido, recto, simplice terminatis.

COR. multiplex, copiosa, radiata: flosculis Disci tubulatis; Radii lingulati; omnibus hermaphroditis. *Corollæ* Disci tubulatæ; *Tabus* cylindricus, sursum paulo crassior, levissime curvus. *Limbus* erectus, quinquesidus: *Jacinia* una exteriori profundius distincta. *Corollulæ* RADII novem vel decem; *Tabus* filiformis, angustior tubo Corollarum disci. *Lingula* patens, tubi longitudine, extrorsum latior, plicatula, profunde quinquepartita: laciniis angustis, linearibus: lateralibus profundius divisis.

STAM. *Filamenta* quinque, glabra, medio tubo adnata. *Anthera* cylindrica, corollula brevior, apice obsolete quinquentata, basi introrsum setas decem exserente (ut in *Carduis* reliquis communiter). In radio simillima, sed *Anthera* angustior, apice profunde quinquesida.

PIST. disci & radii simillima. *Germen* tomento sericeo adpresso involutum. *Stylus* filiformis, anthera longior. *Stigma* subcapitatum.

PER. *Calyx* immutatus semina continet.

L

SEM,